Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 355
Quelle:
Copyright:

Perorat vero ſic:

Supplicemus interim gracie diuine.
Quam humane credimus ſummam medicine.
Vt expertes faciat ultime ruine.
Vtque ſalus omnibus hic ſit et in fine.

CXXXIV. VII. J. 14.

853 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 184. 8. bene ſcriptus et rubricis enotatus inſcribitur: *Incipit prologus in excerptum de Aurora.* Eſt igitur Compendium *Bibliorum metricorum Petri de Riga*, quae jam IX. ipſis *Codicibus* repraeſentavimus. E Παρεργοις, quae ibi praecedere ſolent, hic ſolum illud Decaſtichon habetur, quod incipit:

Nil homini melius, quam ſi diuina legendo
Figat ibi mentem. quo ſibi uita uenit &c.

Tum: *Explicit prologus. Incipit Geneſis.*

Primo facta die duo celum terra leguntur &c.

et excerptis ſolis Libris hiſtoricis ſubditur: *Explicit Aurora de ueteri teſtamento.* *Fol.* 171. *Incipit acceſſus in auroram de nouo Teſtamento.*

Lux ewangelij ſit lumen carminis. ex hac
Materia texam carmen opuſque meum &c.

et decurſis 9. Diſtichis *Incipit hiſtoria ewangelica.*

Claruit herode ius regis agente ſacerdos &c.

Finis:

Diſcipulis uiſus cognitus aſtra petit.

Margines Summariis miniatis conſiti ſunt. Ut ſemel dicam, e collatis tot et tam diverſis *Aurorae* Exemplis Poema iſtud integerrimum et perfectiſſimum e Bibliotheca noſtra Palatina emergere poſſet.

CXXXV.